

nuntur homines ab hominibus? Sed forma discretionis est gratia; et si haec esset indifferens, foret forma communis; ergo gratia nequit esse indifferens.

R. D. M. Forma discretionis in actu secundo et formalis non potest esse communis C. Forma discretionis in actu primo et causalis seu radicalis Subd. non potest esse communis tam intrinsece seu entitative, quam extrinsece seu respective C. non potest esse communis saltem intrinsece et entitative N. Similiter D. m. Gratia est forma discretionis in actu primo et radicalis C. in actu secundo et formalis N. Item si esset indifferens, foret communis intrinsece et entitative C. etiam extrinsece et respective N. Ex dictis tum in praesenti, tum in Tr. de Deo, *discretio formalis* et in actu secundo consentientis a dissentiente stat in ipso consensu, seu, ut loquitur S. Aug. I. c. *Fides discernit fidelem ab infideli*, quae sane non est communis dissentienti et infideli: *causalis* autem et in actu primo stat in gratia, non quidem secundum solam entitatem et intrinsecum sumpta, sed ut substante tribus illis formis vel connotatis.

Unde quamvis gratia sit communis quoad illam, non tamen convenit omnibus secundum hanc acceptancem. Textus S. Aug. non est ad rem, quia eo agit contra *Semipelagianos*, qui per ea dona intelligebant naturam, vel gratias meritis naturalibus debitas; quae utique vel non discernunt hominem ab homine, vel faciunt, ut homo gloriari possit, quasi non accepit: quod utrumque repugnare Apostolo S. Doctor ibidem ostendit.

Inst. 1. Si gratia efficax esset entitative indifferens, voluntas foret *causa principialis* consensus, non autem gratia vel Deus; quia, ubi duo concurrunt ad eundem effectum, hic illi tribuitur præcipue, qui se ipsum et actionem, ac consequenter aliquo modo alium etiam determinat, quod voluntati convenire ex dictis liquet: consequens vero a nemine admittitur; ergo.

R. 4<sup>o</sup>. N. M. Ad prob. D. Effectus præcipue tribuitur determinanti, si determinans habeat ex se vires producendi effectus C. si accipiat ex benevolo affectu causæ indifferenter, et potestas ipsa determinandi sit ex suppositione determinationis Dei, volentis sic concurrere, ut libere agat creatura N.

R. 2<sup>o</sup>. D. M. Voluntas foret causa principialis productiva consensus N. solum electiva T. Gratiam nihilominus esse causam principalem productivam salutaris consensus, tametsi voluntas dicatur esse causa primaria in ratione *principii electivi*, patet tum ex eo, quod voluntas ad actum salutarem solum concurrat ut principium elevatum, gratia autem ut elevans: tum ex hoc, quod actus salutaris, utpote supernaturalis, simpliciter excedat proprias voluntatis vires.

Praeterea vero transmissum duntaxat est, voluntatem esse *principalem causam electivam*; quia licet voluntas supposita collatione gratiae seipsam determinet ad consensum, tamen, cum Deus non solum conferat gratiam et per eam vires agendi, sed etiam dependenter a scientia media infallibiliter prædefiniat creature consensum, Deus in *linea morali* etiam causa principialis electiva dici potest.

Inst. 2. Gratia efficax nequit esse *æqualis* gratiae sufficienti quoad entitatem et congruitatem desumptam a circumstantiis loci, temporis, subjecti et modi movendi; quia haec gratiae utpote solo numero differentes vel non possent discerni, ita ut una anteponatur alteri, vel si una etiam ab altera discri-

neretur, nulla posset esse voluntati ratio sufficiens, unam præponendi alteri; ergo nec potest esse *entitative indifferens*, vel saltem non est talis indifferenter, qualis est sufficiens.

R. 1<sup>o</sup>. Ad prob. 1<sup>am</sup>. N. Ass. Quia negamus tantum inæqualitatem auxiliorum in ordine ad congruitatem, non vero in ordine ad circumstantias simpliciter individuantes. Similiter N. prob. 2<sup>am</sup>. ejusque Supp. Voluntas non solum est libera ad eligendum inter inæqualia, sed etiam *inter æqualia*; imo in hoc maxime consistit dominium voluntatis, et libertatis ratio: alioquin voluntas semper etiam quoad exercitium actus determinanda esset vel ab intellectu, vel ab objecto. Ut autem voluntas tunc eligat, sufficiens ratio est, quod in uno medio vel objecto inveniatur motivum sufficiens, ut appetatur; in altero autem nihil sit, quod necessitet ad ejus electionem: hoc enim posito, quamvis idem reperiatur in altero objecto vel medio, non est necessarium speciale motivum, sed sufficit *sola libertas*, ut unum assumatur, et alterum relinquatur; sicut eadem libertas sufficit sine novi motivi accessione, ut quod objectum vel medium in priori instanti fuit assumptum, in subsequenti relinquatur.

R. 2<sup>o</sup>. N. Cons. Quia nec illi, qui ad gratiam efficacem congruitatem attemporationis exigunt, in ejus entitate certitudinem auxili physicam aut infallibilitatem connexionis cum consensu reponunt.

383. Obj. III. Gratia est efficax pro priori ad consensum conditionate futurum; tum quia vera est haec propositio: *Ideo gratia obtinebit consensum, quia est efficax*; illa autem est falsa: *Ideo est efficax, quia obtinebit consensum*: tum quia consensus est effectus gratiae efficacis qua efficacis; ergo.

R. Ad prob. 1<sup>am</sup>. Si sermo sit de gratia *ante veritatem conditionatam* concepta, neutra propositio est vera; quia in hoc statu nec verum est dicere: gratia obtinebit consensum; nec: gratia est efficax seu infallibiliter obtentura consensum; adeoque neutra causalis locum habet. Si autem sermo sit de gratia *supponente veritatem conditionatam*, ultraque propositio est vera in sensu formalis; unde et S. THOM. Lect. 6. in cap. 8. ep. ad Rom. ait: *Hæc vocatio est efficax in prædestinatis, quia hujusmodi vocationi consentiunt*.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. D. Consensus ut actualiter positus et executioni datus, est effectus gratiae efficacis qua efficacis C. Consensus ut objective prævisus N. sic enim non est, sed esset effectus. Porro *disparitas* est, quod consensus in statu existentiæ et *absoluto* fiat a gratia ut jam prævisa habitura effectum et cum eo connexa, adeoque habente omnem efficaciam rationem: in statu autem *conditionato*, nec prævidetur futurus a gratia ex se cum effectu conexa, quia haec alioqui esset necessaria et a voluntate impediri nequiret; nec a gratia per aliam scientiam vel futuritionem jam adepta hujusmodi connexionem, ut supponere oportet: adeoque gratia in hoc statu rationes ad efficaciam *theologicam* requisitas non habet, nec ab ea ut efficaci futurus consensus prævideri potest.

Inst. 1. Ad efficaciam gratiae habendam nequit prærequiri *futuritio conditionata*; tum quia alias Deus pro collatione gratiae exspectaret liberi arbitrii determinationem; quod a Concilio ARAUS. II. can. 4. est damnatum: tum quia initium salutis foret ex nobis; quod rursus damnatum est Sess. 6.

c. 3. in TRID. : tum quia prima gratia conferretur propter merita conditionatae prævisa; quod iterum Ecclesia damnavit in *Semipelagianis*; ergo.

R. D. A. Ad efficaciam gratiae quoad vim operandi nequit prærequiri futurio conditionata C. quoad infallibilitatem connexionis Subd. nequit prærequiri futurio conditionata prioritate logica et subsistendi consequentia N. prioritate physica et causali C.

*Ad prob. 1<sup>am</sup>. D. seq.* Deus exspectaret determinationem liberi arbitrii ex propria et naturali virtute agentis N. agentis per vires gratiae Subd. exspectaret proprie ac physicæ cum suspensione actionis N. improprie ac logicæ, quatenus Deus non ante previsionem scientiæ mediae decernit dare gratiam C. Sicut in errore quinto *Semipelagianorum* ostensum est, sententiam nostram non convenire cum erroneo dogmate horum Hæreticorum; sic Arausicanii Concilii definitio illos oppugnans contra nos hic proferri nequit. Quamvis vero improprius modus loquendi sit, cum dicitur Deus *exspectare* nostram determinationem; tamen nostro sensu eumdem tum a *SCRIPTURA*, tum a SS. PATRIBUS esse usurpatum, constat ex Isa. 5. v. 4. et 7., item cap. 30. v. 18. et S. HIER. in laudatos textus, ac PROSP. L. 2. de vocat. gent. c. 8. supra relatis.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>. N. seq.* Tum quia consensus etiam *conditionate futurus* pendet a gratia per modum conditionis importata: tum quia is nulla ratione est causa vel physica, vel moralis, ut conferatur gratia; sed unica Dei voluntas libera; quæ proinde est radix et initium nostræ salutis.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>. Rursus N. seq.* cuius ratio patet tum ex proxime dictis, tum ex eo quod, sicut in illo priori dantur *merita conditionata*, sic etiam dantur *demerita*; adeoque neutrum præ alio habere queat rationem movendi Deum, sed sint duntaxat objectum scientiæ Dei, secundum quod libere et infallibiliter eligi queat.

*Inst. 2.* Si efficacia gratiae haberetur a consensu conditionate futuro, sequeretur 1., dari *mutuam causalitatem*; quia consensus foret causa efficaciam, et efficacia est causa consensus: 2. *Discretionem* etiam *radicalem* non fieri a solo Deo, sed simul a nobis: 3. Deum per gratiam non facere hominem *ex volente volentem*, sed solum ex conditionate volente absolute volentem: haec omnia vel absurdâ, vel etiam erronea sunt; ergo.

R. *Quoad 1<sup>um</sup>. D. seq.* Foret mutua causalitas in eodem causandi genere et respectu ejusdem N. secus C. Nam imprimis consensus *conditionatus* est causa efficaciam, efficacia autem est causa consensus *absoluti*: deinde consensus est causa duntaxat resultantiae et *objectiva*, efficacia autem causa producti et *effectiva*: deinde consensus est causa efficaciam quoad *infallibilitatem*, efficacia autem secundum *vim operativam* proprie est causa consensus.

*Quoad 2<sup>um</sup>. et 3<sup>um</sup>. N. seq.* Ratio *prioris* est; tum quia, sicut in statu conditionato nulla est discretio, utpote ubi quilibet prævidetur multa et *mala* et *bona* facturus sub aliqua conditione; sic et a consensu tantum conditionato non potest dici discretio esse ex nobis: tum quia discretio proprie juxta S. Avg. fit a conferente gratiam: *Ille enim discernit, qui, unde discernaris, impertit*; collatio autem gratiae fit et dependet a solo Deo, nou ab homine. Ratio *posterioris* est; quia Deus quidem, prout confert auxilium A, cui prævidet hominem consensurum, facit ex conditionate volente absolute

volentem; sed prout confert auxilium idem pre auxilio B, cui videt hominem dissensurum, facit ex nolente volentem. Præterea alio etiam modo, scilicet quatenus dat homini gratiam *efficacem*, qui sibi relictus nollet operari, aut quatenus homini gratiis remissioribus alias resistenti dat gratiam *überiorem*, ex nolente facere volentem intelligitur.

*Inst. 3.* Ante scientiam medianam jam est bonus gratiae usus; tum quia scientia media est *speculativa*, et supponit suum objectum: tum quia enuntiat consensum esse futurum sub conditione gratiae efficacis, et non sub conditione sui ipsius; ergo scientia media nihil confert ad gratiae efficaciam.

R. D. A. Jam ante scientiam medianam est usus bonus gratiae absolutus N. conditionatus Subd. est sub aliqua formalitate, scilicet connexionis determinatae et objectivæ infallibilis T. sub omni formalitate, infallibilitatis formalis tum cognoscitivæ, tum affectivæ N. Dixi: *Transeat*; quia infallibilitas objectiva perficitur purificatione conditionis.

*Ad prob. 1<sup>am</sup>. D.* Scientia media est speculativa respectu consensus conditionati C. respectu consensus absoluti N. Hujus enim respectu potest dici *practica* non quidem effective, sed tamen *directive*; quatenus ratione hujus scientiæ Deus est proxime potens certissime ac provide obtinere liberum hominis consensum, si illum obtinere velit.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>. N. 1<sup>am</sup>. p. Ass.* Ratio est, quia gratia efficax est, quæ per scientiam medianam prævidetur habitura effectum: sed scientia enuntians consensus esse futurum sub conditione, si Deus daret gratiam, quæ per scientiam medianam prævidetur habitura effectum, non est scientia media, sed scientia necessaria seu *simplicis intelligentia*; ergo et scientia enuntians consensus esse futurum sub conditione gratiae efficacis non erit scientia media, sed necessaria.

Itaque *scientia media* solum enuntiat consensus esse futurum sub conditione gratiae in actu primo proximæ et sufficientis hoc modo: si homini tali tempore, occasione et loco daretur auxilium A, homo illi consentiret. Porro hoc scientia media non enuntiat esse futurum infallibiliter, sed infallibiliter enuntiat esse futurum contingenter: unde scientia non habet *infallibilitatem* propter necessariam et intrinsecam connexionem gratiae cum consensu; sed propter infinitam intellectus divini perfectionem, qui sicut ex sua essentia est determinatus ad cognoscendum omne futurum seu absolutum seu conditionatum, ita pariter est determinatus ad illud cognoscendum cognitione certissima, cui falsum subesse nequit.

*Inst. 4.* Bonus usus gratiae *conditionatus* non pendet a scientia media; ergo nec *absolutus*, quia uterque dependet ab iisdem principiis. Item inefficacia gratiae non pendet a scientia media de *dissensu*; ergo nec efficacia gratiae dependet a scientia media de *consensu*.

R. *Quoad 1<sup>um</sup>. D.* Uterque pendet ab iisdem principiis per accidens tantum ad operationem requisitis N. per se requisitis Subd. eodem etiam modo extrinsece affectis N. diverso affectis modo C. Principia consensus salutaris tum conditionati, tum absoluti *per se requisita*, sunt gratia et voluntas; que in statu absoluto substanti triplici illi formæ, vel ad tres illos terminos respectum dicunt, in statu autem conditionato illis carent: eadem formæ etiam possunt dici principia consensus, sed *per accidens* tantum requisita; quia vel sine illis operatio simpliciter haberi potest, vel pertinet potius ad rationem

medii providentiae et beneficij diuini in operatione explicandam, quam ad ipsius effectus positionem.

R. Quoad 2<sup>um</sup>. N. A. Quia gratiae *inefficacia* quoad infallibilitatem etiam habetur a futuritione conditionata dissensus, et scientia media de dissensu, et gratia prout his formis substans est in actu primo inefficax. *Disparitas* tamen inter efficacem et inefficacem est, quod gratia non inducat aut concurrat ad *dissensum*, nec Deus intendat aut prædefiniat eundem, adeoque ut substans scientiae mediae nequeat proprie dici medium ad dissensum.

Inst. 5. Deus independenter a scientia media per solam *simplicem intelligentiam* videt consensum liberum hominis sub auxilio A indifferenti esse possibilem; ergo hoc ipso est proxime potens ad impetrandum infallibiliter consensum hominis per istud auxilium; tum quia Deus efficaciter potest decernere existentiam cuiuslibet objecti, quod possibile per scientiam *simplis intelligentiae* cognoscit: tum quia alias pro eo signo, pro quo consensus liber est possibilis creaturæ, idem consensus non esset possibilis Deo.

R. D. A. Deus independenter a scientia media per solam *simplicem intelligentiam* videt consensum liberum esse possibilem remote, et prout eius possibilitas præcise dependet ab omnipotencia C. videt illum possibilem proxime, et prout possibilitas dependet a voluntate divina potente illum proxime et infallibiliter producere N. A. et Cóns.

Ad hujus prob. 1<sup>am</sup>. D. Deus, cognita per scientiam simplicis intelligentiae possibilitate, potest efficaciter decernere existentiam cuiuslibet objecti a sua solius libertate dependentis, quale est v. g. mundus C. objecti simul a libertate creata dependentis, qualis est liber hominis consensus N. *Disparitas* est, quia in posteriori casu vel decretum Dei sine previa scientia media esset frustrabile, vel actus creaturæ non foret liber.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. N. Ass.; quia in illo signo scientiae simplicis intelligentiae iste actus est creaturæ etiam solum *remote*, imo remotius, quam Deo possibilis.

384. Obj. IV. Sine prædefinitione habetur in gratia efficaci ratio specialis beneficij; ergo prædefinitione nec debet, nec potest statui forma vel terminus gratiae efficacis. Prob. Ad rationem *specialis beneficij* sufficit, quod Deus prævideat gratiam habituram effectum et illam tribuat, licet ipsam efficaciam non intendat; tum quia gratia efficax *naturæ integræ* erat speciale beneficium, quamvis daretur sine hac intentione: tum quia, ut quis specialem alteri injuriam inferat, sufficit, quod ponat actionem, ex qua prævidet securum damnum, licet illud non intendat.

R. N. Ass. Ex dictis enim nequidem esset beneficium formale, multo minus specialiter formale.

Ad rat. 1<sup>am</sup>. D. Gratia efficax *naturæ integræ* erat speciale beneficium, sumendo speciale pro materialiter et quoad effectum majore C. sumendo pro formaliter et quoad affectum ac benevolentiam majore N.

Ad rat. 2<sup>am</sup>. R. 1<sup>o</sup>. N. Ass. Quia si quis ad ponendam actionem, ex qua sequitur alterius damnum, quod alter impedire potest, habeat jus, non infert alteri injuriam, nisi hanc intendat.

R. 2<sup>o</sup>. N. parit. Quia *injuria* pertinet ad malum, quod habetur ex quolibet defectu, et ad quod sufficit cognitio et voluntarium quocumque etiam

negativum, indirectum vel in causa: beneficium vero est in ordine *boni*, quod non est nisi ex integra causa, et debet non tantum cognosci, sed et positive intendi, ut denominationem boni moralis nanciscatur.

Inst. 1. *Prædefinitione* divina nihil speciale ponit ex parte actus primi proximi prævisi efficacis, quod non ponat permisso peccati ex parte illius actus prævisi inefficacis; ergo sicut ex illa permissione non habetur in gratia inefficaci singulare maleficium, sic ex prædefinitione non habetur speciale beneficium.

R. D. A. Prædefinitione nihil speciale intrinsecum et entitativum ponit ex parte actus primi proximi, quod non ponat permisso peccati T. nihil speciale extrinsecum et denominativum N. Gratia efficax respicit singularem affectum misericordiae divinæ ac intentionem consensus, inefficax autem illa non respicit. Dixi: *Transeat*; quia prædefinitione consensus sepe ponit gratiam etiam entitativa majorem et intensiorem, quamvis adhuc indifferentem ac repudiabilem.

Inst. 2. Prædefinitione est voluntas Dei absoluta et efficax: sed absoluta et efficax Dei voluntas tollit libertatem actus prædefiniti; tum quia hæc voluntas Dei est infrustrabilis: tum quia ille, cuius actus est prædefinitus, non potest non consentire; ergo.

R. D. M. Prædefinitione independens a scientia media est voluntas Dei absoluta et efficax C. Prædefinitione a scientia media dependens subd. est voluntas Dei absoluta nullam includens conditionem creaturæ liberam, et efficax mere ab intrinseco N. est voluntas absoluta implicite saltem dicens conditionem creaturæ liberam, et efficax ab extrinseco, scilicet a cooperatione creaturæ libera C. Similiter D. m. voluntas Dei penitus absoluta et mere ab intrinseco efficax tollit libertatem C. voluntas Dei simpliciter quidem absoluta, secundum quid tamen conditionata et efficax dependenter a cooperatione creaturæ conditionata. N.

Ad ejus rat. 1<sup>am</sup>. D. Voluntas Dei penitus absoluta et mere ab intrinseco efficax est infrustrabilis C. simpliciter absoluta et ab extrinseco efficax subd. est infrustrabilis, sed tamen indirecte impedibilis C. est tum infrustrabilis, tum nequidem indirecte impedibilis N. Scientia quidem media, si datur, nequit falsificari, et prædefinitione posita frustrari seu carere effectu nequit; utraque tamen *impediri* potest, ne ponantur: si enim homo non esset consensurus, nec scientia media, nec prædefinitione de consensu fuisse ab æterno.

Ad rat. 2<sup>am</sup>. D. Ille, cuius actus est prædefinitus, non potest dissentire antecedenter N. consequenter subd. non potest dissentire simultate potentiae, ita ut non habeat veram potentiam dissentendi stante etiam prædefinitione consensus N. potentia simultatis, ita ut non habeat potentiam conjungendi dissensum cum existentia prædefinitionis de consensu. C. Homo ejusmodi habet actum primum proximum indifferentem ad consentiendum vel dissentendum, et posset simpliciter dissentire; certo tamen non dissentiet: et si esset dissensurus, neque scientia media, neque prædefinitione de consensu existerent.

Inst. 3. *Præmotio physica* tollit libertatem; ergo et prædefinitione.

R. N. Cons. Multiplex ex alibi jam dictis est disparitas. Nam 1<sup>o</sup>. *præmotio physica* se teneret ex parte creaturæ; esset principium per se requisitum et proxime influens in consensum; non relinquere principia alia, quæ una

influunt, *indifferentia*: e contra prædefinitio a scientia media dependens se tenet solum ex parte Dei; est principium per accidens dyntaxat requisitum et remotum; relinquit reliqua principia non minus, ac actum prium proximum, *indifferentia*. 2º. *Premotio* habet *infallibilitatem intrinsecam* et in ipsa virtute causandi fundatam: prædefinitio autem solum extrinsecam et fundatam in consensu libero conditionate futuro. 3º. Denique tum decretum prædeterminans, tum præmotio esset a creatura *inimpeditibilis*: prædefinitio nostra potest saltem indirecte a creatura impediri.

## ARTICULUS V.

QUENAM SIT HISTORIA CONTROVERSLÆ DE GRATIÆ AUXILIIS SUPERIORIBUS SECULIS  
INTER CATHOLICOS AGITATÆ?

385. *Nota.* Præter Acta *Lemosii*, *Pegnæ*, *Coronelli* aliorumque in Congregationibus de gratiæ auxiliis, varie narrationes tum a Patronis gratiæ per se efficacis, tum a Nostris aliisque editæ priori jam seculo extabant. Anno ejusdem seculi postremo tandem prodiit justum volumen, complexum Historiæ congregationum de auxiliis gratiæ divinæ sub summis Pontificibus *CLEMENTE VIII.* et *PAULO V.* Libros quatuor, auctore Augustino. *Le Blanc SS. Theol. Doctore*: oppositi huic sunt an. 1703. Historiæ controversiarum de divinæ gratiæ auxiliis sub *SIXTO V.*, *CLEMENTE VIII.* et *PAULO V.* Libri sex, auctore Theodoro *Eleutherio Theologo*.

Recusa subin fuit historia prior, aucta libro quinto superiorum quatuor apologetico, auctorque, quem jam ante Eleutherius detectum vulgaverat, inscriptus est Fr. Jacobus Hyacinthus *Serry* Ord. Prædicatorum: eidem reddidit vices, vindicato ab objectionibus opere, quod sub Eleutherii schemate prius emiserat, aperta jam fronte P. Livinus de *Meyer* Soc. Jesu. Ex alterutro postmodum concinnarunt hujus historiæ compendia Theologi plerique inter quos nonnulli non tam veritatis amore, quam partium, quas circa gratiæ efficaciam sectantur, studio, Historicum alteri alterum prætulerunt.

Cujus quidem vitii suspicio ne relationi nostræ aspergi queat, visum est aliena opera uti, et adoptare epitomen Auctoris, qui præter reliquias iudicis vel arbitri dotes animum neutri addictum parti professus est, quæ alios circa materiam de scientia Dei et gratiæ auxiliis in sectas dividere solet. Hujusmodi autem omnino est *Honoratus Tournely* Doctor Sorbonicus; cuius proinde historicam epitomen ex Prælectionibus Theologicis contractis fideliter descriptam, exceptis quibusdam erroribus forte typographicis, damus.

## § I.

## De Occasione Congregationum.

386. Vix instituta erat *SOCIETAS JESU*, jamque e vivis defuncto sanctissimo fundatore, sparsis per Europam illius membris, et primas in Universitatibus cathedras occupantibus, conquesti sunt plerique PP. DOMINICANI, novam

eos, camque a Pelagianismo non satis recedentem edocere doctrinam: nec minus de Dominicanis conquerebantur Societatis Patres, quod suo præsertim circa prædeterminationem systemate Calvinii defensoribus faverent. Talis atque tantus fuit rumor ille, ut summi Pontificis auctoritas in medium vocata accusationum veritatem dignoscere dignata non fuerit: quomodo autem ad suum tribunal causam reservare fuerit adducta, nunc venit expendum.

387. I. Anno 1581. *PRUDENTIUS DE MONTE MAJOR* publicis apud Salmanticenses Thesibus doctrinam de scientia media propugnavit. Ipsi praeluserant, teste Gabriele de Henao Libr. de scientia media historice propugnata, Fonseca apud Conimbricenses, Molina Eboræ, Henricus Henriquez Cordubæ, Deza in Complutensi Academia, Didacus Paez et Michael Marco in urbe Salmanticensi. Verum his omnibus famosior *Prudentius*. Contra illius Theses disputavit celebris ex Ordine Prædicatorum *Dominicus BANNEZ* in eadem Universitate Salmanticensi primariæ cathedralæ moderator; qui et a disputatione egressus sexdecim propositiones Inquisitionis sanctæ tribunali, suo et amicorum quorumdam nomine denuntiavit. Has S. Officii Commissarius damnavit, inquisito prius censorio Doctorum Salmanticensium judicio; sed illas *Prudentio de Monte Major* non tribuit Inquisitor, et ipse *Prudentius* eas velut sibi proprias nusquam agnovit, nec illas tanquam doctrinæ a se assertæ conjectarias fassus est. Atque hæc fuere initia celeberrimorum dissidiorum, quæ in Hispania Prædicatorum Ordinem cum Societate commiserunt.

388. II. Fervebat adhuc in Salmantensi Academia disputationis aestus, cum *LESSIUS* et *HAMELIUS* apud Belgas eamdem, ac *Prudentius*, doctrinam propugnarunt annis 1586. et 1587. Iis obstiterunt Academiæ Lovaniensis ac Duacensis, ducibus hic *Estio*, ibi *Baio*; atque quatuor supra triginta propositiones damnarunt: hic dissidiorum origo in Belgis. Orta isthæc dissidia auctoritate sua compescuit *Sixtus V.* summus Pontifex, dato die 15. Aprilis an. 1588. Brevi ad suum in Belgio Nuntium Apostolicum, quo totius controversiae cognitionem summo reservavit Pontifici. Utriusque porro dictæ Academiæ censuram a sancta Sede fuisse approbatam anno 1679. contendunt nonnulli; reclamant cæteri.

Negans sententia nobis videtur probabilior: etenim, ut alia prætermittam, ex quibusdam excerptis Registrorum S. Officii constat, die 10 Decembr. an. 1679. prohibuisse sacram Congregationem Oratoribus Lovaniensibus, ne censuram prædictam typis mandarent, et lata prohibitione subditur: *Significet autem Oratoribus, quod nec Sanctitas sua, nec sacra Congregatio unquam approbavit dictam censuram, seu ejus justificationem in materia gratiæ. Nihil certe disertius.*

389. III. *Molina*, primarius in Eborensi Academia Theologiæ Professor, suum celebre opus de *Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis*, etc. edidit. Commentarium est in nonnullos primæ partis divi *THOMÆ Articulos*, de divina scilicet præscientia, prædestinatione et reprobatione. Huic efformando jam a triginta annis incubuerat *MOLINA*. Vix lucem videbat Opus, a Bartholomeo Ferreira Dominicano approbatum, et statim varios expertum est